

Fr. Ernest. Bruckmanni Med. Doct. Acad. Caesar. Nat. Cur. Colleg. et Pract. Brunsvic. Specimen physicum sistens historiam naturalem lapidis nummalis Transylvaniae.

Contributors

Brückmann, Franz Ernst, 1697-1753.

Publication/Creation

Wolfenbuttelae : [publisher not identified], 1727.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dz72t93x>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

FR. ERNEST. BRVCKMANNI
MED. DOCT. ACAD. CAESAR. NAT. CVR.
COLLEG. ET PRACT. BRVNSVIC.

SPECIMEN PHYSICVM

SISTENS

HISTORIAM
NATVRALEM
LAPIDIS NVMMALIS
TRANSYLVANIAE.

Fig: 1.




2.



WOLFENBVTTELAE

MDCCLXXVII.



GENEROSISSIMO ATQVE EXCELLEN-
TISSIMO VIRO

DOMINO

DN. IOHANNI
ANDERSON,

J. V. CELEBERRIMO DOCT.

INCLYTAE HAMBVRGENSIVM
REIPUBLICAE

CONSVLI PRVDENTISSIMO,
GRAVISSIMO,

RERVM NATVRALIVM
AESTIMATORI SINGVLARI,
PATRONO SVO

OMNI OBSERVANTIAE CVLTV DEVENERANDO,

QVO VIVENTE

SENATVS ORNATVR OPTIMVS,
MVSAE FLORESCVNT EGREGIAE,

ET

SECVRITATEM SIBI SPONDET

TOTA HAMBURGENSIVM RESPVBLICA

ORNATISSIMA,

HVMILLIMO ANIMO,

GRATA MENTE,

DEVOTA MANV

EXIGVVM HOC LITHOLOGICI STVDII SPECIMEN

OFFERT

ET

AEQVATOS MERITIS INGENTIBVS ET

VIRTVTIBVS ANNOS EX ANIMO

SINCERO PRECATVR

F. E. BRÜCKMANN D.



SPECIMEN PHYSICVM

DE

LAPIDE NVMMALI TRANSYLVANIAE.

§. I.

TRaditiones & fabulæ quia ante aliquot secula, quum barbaries crassa imperii sceptrâ per totum ferme terrarum orbem teneret & studia quasi sepulta laterent, in omnes ferme scientias amaurosi & cœcitate quorundam semi-eruditorum irreperunt, sibi que locum adjudicarunt, nec ista Physices pars, quæ lapidum & gemmarum

historias tradit, libera ab istis mansit, sed hisce quoque maculis conspurcata est. Sic prostat traditio de Melonibus, fructu alias suavissimo & delicatissimo, montis Carmel ex maledictione Prophetæ Eliæ, cum ei petenti hortulanus quidam nebulo talem fructum denegasset, in faxeam duritiem conversis; Sic prostat fabula de pisif, quæ Christus, hominum servator, in lapides rotundos minores, pisi magnitudine adhuc gaudentes, transformasse dicitur, cum ex rustico quodam Judæo Terræ sanctæ circa Bethlehem, unde pisa Bethlehemitica appellata fuerunt, pisa ferente & plantante quæisivisset: Quodnam feminis genus in suum prosterneret agrum? qui, cum responsum dedisset, se plantare & serere lapides: Christum replicuisse: sint igitur & maneat in omne ævum lapides! & momento citius hæc semina rotunda talem Gorgonicam passa sunt metamorphosin. Quod tamen miraculum, cum facer codex ne linea quidem istius mentionem adiecit, omnes merito in dubium trahunt, & valde suspectum habent. Sic porro prostat fabula de lapide frumentaceo, qui omnis generis semina esculenta v. g. hordei, tritici, fabarum, lentium &c. monstrat, quique originem suam, uti narratur, deberet avaro frumenti Judæo venditori, qui annonæ caritate frumentum paupertate oppressis vili pretio vendere noluerit, sed semper cariora exspectans & exoptans tempora, pro explenda sua enormi avaritia, divina accedente ira omne eius granum faxificatum sit. Porro traditionem sapit, quod de Glossopetris insulæ Malthæ Maris Medi-

Mediterranei narratur, in qua maledictione S. Apostoli Pauli, primi Christianæ religionis doctoris & propagatoris, omnes serpentes totius modo dictæ insulæ, absumtis partibus mollioribus, ita sint indurati, ut nihil nisi lapideam substantiam referant, servata nihilominus figura & structura animalis istius serpentis, ejusque partium, quæ adhuc exteris, sub nomine glossopetrarum & oculorum serpentum venduntur. Dantur adhuc plures aliæ de aliis lapidum generibus historiæ fabulosæ, quas silentii peplo involventes lubenter prætergredimur, & de lapide nostro nummali recensere parem prioribus legendam, narratur autem & circumfertur hunc in modum: Ladislaus, primus Hungarorum Rex, qui ob singularem religionis Zelum pietatemque haud fucata inter Divos relatus, Sanctique nomen in Ecclesia Romana adeptus est; istum ferunt primum, tota Hungaria a Tartaris pulsum in Daciam seu Transylvaniam in urbem Claudiopolin, quam Hungari Coloswar appellitarunt, profugisse. Istic cum opulento quodam & prædivite lanio amicitiam familiaritatemque singularem plane contraxisse, cujus etiam fit factus compater, cum infantulum lavacro sacro pro abluenda lue originali traderet. Hujus laniæ auxilio & pecunia, qui illi omnes persolvit expensas, Rex sanctissimus rebelles Tartarorum cohortes denuo aggressus, eis totum Hungaricum potentissimum Regnum ademit, e faucibusque iterum felicissime eripuit. In hac Tartarorum fuga, cum nummos ex auro cufos, quos ex præda isti barbari colle-

collegerant, Aradiensi, sic dicto, campo abjicerent, ut insequentes Hungaros hostes, collectione istius aureæ monetæ remorarentur & se liberos & securos ab illorum insequutione redderent, precibus supplicibus a Deo contendit, ut aurum hoc, optimum alias & omnibus gratissimum metallum, in lapides converteret ! Optimum piissimi Regis votum eventus optimus & desideratus insequutus est, miraculumque statim adfuit nemine non militum maxime obstupescente. Inde factum putant, ut Aradiensis ille, modo nominatus, campus planis lapillis circularibus abundet, qui aliquando aurei nummi fuerint. vid. Carol. Clusium in Nomenclatur. Pannon. Joh. Rudolp. Camerarium in Sylloge memorabilium Medicinæ & mirabilium naturæ arcanorum Cent. III. Particul. XXV. p. 153. 154. Hübnerum in Lexico naturæ & artis sub titulo : lapis nummalis. p. m. 1400.

§. II.

Tradidimus sic breviter & compendiose ea, quæ de hoc concreto lapideo ab aliquot retro seculis fabulose narrantur, & sic dicitur in hodiernum usque diem lapis nummalis, a nummo isto aureo, quem conversionem lapideam, ut supra retulimus, passum fuisse nimis creduli credunt. Germani istum vocant lapidem *Pfenning-Stein* / superat autem magnitudine sua & pondere omnem monetam istam minutulam, quam nomine *eines Pfenninges* in commutatione majoris valoris pecuniæ usurpare consueverunt.

verunt. Delineationem istius sic dabimus : est lapis ex meris semicircularibus convexis sibi invicem superimpositis crustis vel lamellis constans, utrinque convexus, figuræ lentiformis rotundæ, vario sub magnitudinis schemate conspicuus, coloris cinerei ad album vergentis, per medium in duas partes scissus & divisus, planities duas intermedias sistens, in quarum planitierum utroque latere circulares lineæ incerti numeri oculis sese objiciunt.

§. III.

Nummus hic lapideus ex meris lamellis & crustis tenuissimis, folii chartæ crassitiem vix adæquantibus, una nunquam non alteram firmissime & artissime junctam excipiente, cum unius laminæ convexitas in alterius concavitatem adæquate quadrat, quæ omnia oculo nudo facile cognosci & distingui possunt, magis autem & melius certe hæ crustulæ sub oculi visum cadunt, in contusione & confractione instrumento quodam ferreo instituenda, ubi simul semicircularis harum substantia & structura interne latens in apricum producitur.

§. IV.

Figuram externam habet utrinque convexam æqualem, lentium semini orbiculari ex asse analogam, quare etiam a celeberrimo Scheuchzero, Oryctographorum nostri seculi facile coryphæo, re-

fertur ad lentes lapideas, a quibus tamen magnitudine sua & structura interna plane singulari longe recedit. Lentes enim petrifactæ (sunt autem nihil aliud quam conchulæ minimæ bivalves) non tantam primo præ se ferunt magnitudinem, nec secundo ex crustis & lamellis componuntur, nec tertio divisæ malleo per medium oculis objiciunt lineas spirales & circulares. Prostant enim apud nos & lentes lapideæ elegantissimæ, & majores & minores, repertæ a nobis in Hungaria superiori in Comitatu Liptoviensi haud procul a pago Thurick cognominato, quæ toto cælo aberrant a nostro lapide nummali, quas dictas lentes cuilibet exoptanti monstrare & proponere non recusabimus. Maximus nummus lapideus floreni ex argento conflati interdum magnitudine gaudet, crassitie autem in medio seu centro istum superat, minimus boni, uti vocant vulgo, medius duorum bonorum grossorum magnitudinem præ se fert.

§. V.

Colorem supra §. II. indicavimus gryseum, ad est quidam apud nos, qui ad luteum vergit. Quando hic lapis malleo & instrumento acuto ferreo, quod Meissel murarii vocant, dividitur, duæ planities in medio apparent, quæ meras lineas circulares plane ad invicem junctas pro numero lamellarum, ex quibus constat lapis, offerunt, in centro lapidis breviores, in extremitatibus marginem versus longiores,

giores, incerti tamen numeri, numeravimus enim ad XL. Ex quot enim lamellis lapis compositus est, ex tot circulis inscriptio nummalis sese visui præbebit; si ex XL. constat crustis, & XL. circulares se oculis nostris objicient lineæ, si ex paucioribus, & pauciores se fistent circuli. Adeo autem difficulter propter strictissimam & arctissimam laminarum & circulorum cohæsiõnem per medium accurate se scindi & findi patitur, quo binæ planities perspicue in apicum prodeant, ut inter viginti vix unum, eleganter monstrantem utraque bina plana, cum circulis omnibus satis clare & dilucide videndis, invenies & ex voto scindes.

§. VI.

Patria est Aradiensis campus in Transylvania, ubi in agris viaque ipsa, qua equis curruque transitur, quæ hisce lapillis quasi obruta & strata est, tantam colligere licet copiam, ut spatium quadrantis horæ, vel brevioris adhuc temporis, integram mensuram, quam nos Brunsvigæ einen *Hundert* appellare solemus, sine ulla molestia manu corradere possimus. Helvetia quoque horum nummorum non expers est, sic enim sunt excellentissimi Scheuchzeri verba in Itineris Alpini Imi descriptione p. 5. Mons Klein-Aubrig totus quantus refertus est lentibus illis striatis utrinque convexis, in massa lapidea vario sub schemate conspicuis, convenit cum nummali lapide Transylvaniæ a Clusio in nomenclatura

Pannoniæ notato. Hoc saxum exhibet figuras lentiformes, vel si mavis, nummulares, ob spirales suos tractus ad Cornua Ammonis forte referendos &c. evolve quoque, si placet, ejus Oryctographiam Helveticam pag. 326. ubi descriptio & figura CLVIII. in nulla parte a nostro nummo abire & abluere videtur, quam in hoc, quod nempe Helvetici lapides in matrice dura lapidea sint inveniendi, & massis suis petrosis ita firmiter impacti, ut non inde excuti queant, nisi in frustula diffracti, & quidam magnitudinem saltim lentis vegetabilis præ se monstrent, cum Aradienses minime grossum bonum adæquant. In Silesiæ montibus, a mole Giganteis dictis, filices circulares convexo plani, Germ. *Circel-oder Kreis-Steine* / qui in uno latere convexitatem, in averso vero altero planitiem monstrant, ex multis super-incumbentibus lamellis, quæ ad centrum usque seu helicem se extendunt, constant, inque plano latere tractus spirales sistunt, quod ad descriptionem & delineationem in tabula ænea videntam, quam Georg. Anthon. Volckmann in Silesiæ Subterraneæ Part. II. pag. 331. Tab. II. Fig. V. exhibuit, cum nostro dimidiato lapide conveniunt, reperiuntur. An quoque huc pertineant Nummi di Bonino, qui ob orbicularem formam, veluti nummos magnitudine varios exprimentes, reperiundi in monte Bonino prope Suapium oppidum dictionis Veronensis, quorum Calceolarius in Mus. pag. 328. mentionem fecit, non accurate dicere possumus, cum nec dictus liber Calceolarii ad manus sit, nec
istorum

istorum unquam exemplar quoddam in ullo Lithophylacio a nobis visum fuerit. Schefferus in sua Lapplandia pag. 415. descripsit quoque lapidem quendam, nummalem dictum, luteum Lapplandiæ, semithaleri magnitudine, qui ripas fluvii Tornæ, haud procul a Cupri-fodinis Junesuando nominatis, pro patria agnosceret, sed cum delineatio sit insufficiens, non audemus istum cum nostro combinare & pro uno eodemque genere venditare.

§. VII.

Nunc nodus Gordius, difficulter frangendus, nec fortissimi Herois Alexandri, Magni cognominati, gladio resolubilis, in scenam prodit. Nempe quid natura massa hac lapidea rotunda intenderit? an sit purus putus istius lus, quem temporis fallendi gratia construxerit? an sit labor artificiosus Pygmæorum & spirituum infra terræ crustam latitantium? an sit quoddam corpus animale vel vegetabile saxificatum? & cur, quomodo, & quando hanc passum sit metamorphosin Gorgonicam crudelem? cur in tanta copia in hac vel illa regione saltem sit reperibile? Sed prodeat naturæ anatomicus, scrutator & haud indiligens rimator acutiori politiorique, quam Alexandri, gladio instructus, & solvat & scindat hunc naturæ strictissimum nodum, & laudes habebit! Definire equidem possumus atque exponere, quid non sit, sed quid sit, hic hæret faucibus aqua. Sic non est lens lapidea vel

petrificata, a qua magnitudine & aliis circumstantiis, quæ a nobis jam supra §. IV. sunt allatæ, distat; sic non est, nec unquam fuit nummus verus aureus, cum nulla moneta in interiori sua substantia habere potest effigiem & monetarii preli signaturam; & posito, sed non concessio, nullum monetæ genus veterum, (sunt enim omnia, quæ diu per multa annorum secula abscondita & sepulta fuere, rursus e terræ gremio eruta, nunc nota & descripta) nec recentiorum temporum effigiem ex meris circulis videndam præbet & offert; nec etiam credibile, si veri fuerint nummi, quod Tartari in fuga tantum istos tam copiose in hunc saltim agrum, nec sparsim, ut alias gens bellica solet aliquid ipsi onerosum abjicere & relinquere, hinc inde disseminarint? nec etiam probabile, quod tantum auri pondus post se rejecerint, cum multa centena centenaria horum lapidum hic hodierno die colligi & corradi poterunt? Porro, quis portionem de his in Gigantum Silesiæ & Helvetiæ montes, Klein-Aubrig appellatos, deportavit? sunt enim in his quoque reperibiles, eandem hic non agnoscunt metamorphoseos causam, miraculo divinitus factam, ergo aliam; sed quamnam? Nec est Cornu Ammonis petrificatum, cum circuli & gyri non externe, uti in omnibus hujus petrificationis animalis marini speciebus hætenus detectis, videntur, sed in media & interiori nummi substantia ipsisque visceribus lateant; nec poterit esse umbilicus marinus, operculum alias satis notum cujusdam cochleæ marinæ, qui in uno tantum latere convexitate

tate gaudet, in altero vero planitiem ostendit, hic autem denarius utrinque convexus est.

§. VIII.

Oculatiores sic nobis Physici & rerum naturalium studiosissimi rimatores dijudicent & detegant, quid natura nunquam otiosa voluerit hoc concreto lapideo curioso & nunquam satis admirando? si detexerint, nobiscum communicent, magnopere rogamus, gratiasque habebimus haud vulgares; nostris haecenus oculis vera causa abstrusa, & in profundo puteo alte demersa, nondum revelata fuit.

F I N I S



EXPLICATIO FIGVRARVM.

Fig. Nummalis lapis Transylvaniae integer ex supra dicto agro nondum divisus.

Idem per medium scissus, repræsentans circulos in plano suo.

*

*

*